



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. De his q[ae] vale[n]t ad stabilimentu[m] viri religiosi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

De his quæ valent ad stabilimentum  
viri religiosi.

## CAPVT III.

**Q**uatuor multum possunt valere ad stabiliendum nouitium in religione. Primum est timor confusionis. Secundum est timor periculi. Tertium amor propriæ salutis. Quartum est spes adiutorij. Circa primum notandum, quòd raro est reditus ad sæculum sine confusione. Vix est qui rediēs non incurrat notam leuitatis, vel verecundiæ, timiditatis, vel alicuius iniquitatis. Leuitati ascribitur, quòd incepit facere, & non potuit consummare. Cum leuitate, etiam notatur de fatuitate, quæ leuitatem comitatur. Seultus vt luna mutatur. Seneca. Stultitia est cui nihil constat: nihil diu placet. Stultus quod non habent, cupiunt: quod habent, fastidiunt. E contrario est de sapiente. Seneca. Quid est sapientia? est idem velle semper atque nolle. Non potest cuiquam idem semper placere nisi rectum. Sapientiam non vincit malitia. Non eiicit tentator sapientem de clauastro. Stabiluit celos prudentia. Per eam viri caelestes stabiluntur. Non est sine ignominia, cum pugil fugit extra locum certaminis. Victus enim reputatur. Locus certaminis est claustrum. Dum in clauastro manet aliquis, adhuc spes habetur de eius victoria, etiamsi hostis ei aliquando præualeat: quia victorem à victo superari saepe videmus. Si spiritus potestatem habentis, ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Non est sine confusione cum

Eccl. 27.

Epist. 20.

ante med.

Sap. 7.

Pro. 3.

Eccl. 10.

*Pfal. 13.**Leuit. 26.**Pro. 28.**Tren. 10.**Isa. 57.**Pfal. 6.**Iob 11.*

cum aliquis solus fugit de prælio, aliis remanentibus, pugnantibus & vincentibus. Rarò aliquis claustrum deserit, qui non prius Deum deseruerit: & ab eo desertus sit. Solet sequi recessum à Deo timor irrationalis. In *Pfal.* Trepidauerunt timore, vbi non erat timor. Habuit Cain caput tremulum post peccatum. Comminatus est Dominus tremorem istum Iudæis: si ab eo peccando recederent. Terrebit eos sonitus folij volantis: & ita fugient quasi gladium. Fugit impius nemine persequente.

Nota etiam quòd qui de religione ad seculum redit, aliquam iniquitatem habuit, quæ eum quiescere non permittit. Sicut punctiones muscarum vel spinarum iumentum discurrere faciunt, sic punctiones vitiorum animum instabilem reddunt. Peccatum peccauit Hierusalem, propterea instabilis facta est. Cor impij quasi mare feruens quod quiescere non potest. Spiritus rationalis, qui nobilis est, in lecto sordidæ cõscientiæ quiescere non potest. Ideo qui ad religionem intrat, debet facere cõfessionem generalem: & exemplo Dauid lauare per singulas noctes lectum suum: vt in eo cum Deo quiescere possit: & sic stabilis esse poterit. Si iniquitatem quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia tua, tunc lauare poteris faciem tuam absq; macula, & eris stabilis. Timor periculi, multum valere potest ad stabiliendum nouitium in religione. Mundus iste igne infernali succensus est, scilicet iræ, cupiditatis, auaritiæ, vel luxuriæ. Et ideo cum indignatione repellenda esset suasio, qua diabolus suadet reditum  
ad

ad sæculum. Bernardus. Domus ardet, ignis  
instat à tergo: & tu mones non egredi, vel iam  
egressum regredi? Perditionis filius esse videtur,  
qui iam est in loco salutis, & ad locum periculi  
redit. Nemo ex eis periit, nisi filius perditionis. *Ioan. 17.*  
Talis periculum suum videtur amare: vnde nō  
est mirum si in illo pereat. Qui amat periculum,  
in illo peribit. Timor huius periculi, est quasi *Abac. 3.*  
clauus configens carnalem affectum, ne eo sti-  
mulante redeat nouitius ad seculum. Confige *Psal. 118.*  
timore tuo carnes meas. Item est quasi pondus  
comprimendo retinens: sicut afferes lapidum  
ponderositate retinentur in tectis domorum.  
Timor Dei super omnia se superposuit. Si non *Eccl. 25.*  
in timore Domini tenueris te instanter, citò sub- *Ibid. 27.*  
uertetur domus tua. Spes etiam multum valere  
potest ad stabiliendum nouitium. Est enim qua- *Heb. 6.*  
si anchora conseruans, ne vehementia tenta-  
tionis à Deo auellatur, & ad seculum reuertatur.  
Dicitur de spe; Quam sicut anchoram habemus  
animæ tutam ac firmam. August. Noli abrumpi  
ab anchora, antequam intres portum. Fluctuat  
navis in anchoris: sed non longè à terra proiici-  
tur. Conatur diabolus deiicere nouitium, diffi-  
dencia vel desperatione, continuitate vel vehe-  
mentia temptationis: vel diuturnitate claustralis  
laboris. Sed diuturnitati laboris opponenda est  
æternitas mercedis. August. Si labor te terret, vi-  
de mercedem. Diuturnitas, quodammodo fa-  
cit vt leuius sustineatur, ratione consuetudinis,  
quæ diuturnitatem sequitur. Sapiens. Optima  
forma viuendi eligenda est, quam iocundam  
reddet assuetudo. Vehementiæ, vel continuitati  
C tenta-

tentationis, resistit spes diuini auxilij & adiutorij. In Psal. Dominus protector vite meę: à quo trepidabo? Dominus est in circuitu populi sui: quasi murus defendens eum. Vehementia etiam tentationis est occasio, vt facilius sustineatur: quia ad hoc facit, vt gratia augeatur. Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, id est, gratiæ augmentum, vt possitis sustinere. Fiducia etiam est habenda in suffragiis Sanctorum, & adiutorio fratrum. Et notandum est, quod Deus iuuat seruos suos secundum quod ipsi habent spem in eo. Bernardus. Quatenus in bonis Domini fiducię pedem porrexeris: eatenus possidebis. Bonus est Dominus sperantibus in se. In Psalmo. Sperantem autem in Domino misericordia circūdabit. Benedictus vir qui cōfidit in Domino: & erit Dominus fiducia eius. & subditur: Et erit tanquam lignum quod trāspantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, & nō timebit cūm venerit æstus, scilicet vehementis tentationis. Confide in Deo: & mane in loco tuo. Facile est in oculis Dei subito honestare, id est, ditare pauperem. Amor etiam proprię salutis potest multum valere ad stabilimentum nouitij: sicut radicatio arboris facit ad eius stabilitatem. Radicaui in populo honorificato. Populus honorificatus, est cæcus seruatorum Dei, in quo aliquis radicatur, cūm expulso amore sæculi, introducit amor Dei, & sui, & proximi. Amor sæculi expellitur, cūm diuitiæ, & delitiæ, & mundi honores contemnantur. Ad cōtemptum diuitiarum pertinet votum pau-

1. Cor. 10.

Tren. 3.

Eccl. 11.

Eccl. 24.

pau-

paupertatis : ad contemptum deliciarum , vo-  
 tum continentiae : ad contemptum honorum ,  
 humilitas obedientiae . Non introducitur amor  
 verus , nisi expellatur amor vanus . Augustinus  
 super epistolam Ioannis : Si mundi amor habi-  
 tet : non est quo Dei amor intret . Adulterinae  
 plantationes non dabunt radices altas , nec sta-  
 bile firmamentum collocabunt . Adulterinae  
 plantationes sunt , de quibus dicitur : Adulteri,  
 nescitis quod amicitia huius mundi inimica est  
 Deo ? Amor Dei , amor sanctae societatis , & amor  
 propriae salutis multum possunt valere ad stabi-  
 litatem nouitij . Funiculus triplex difficile rum-  
 pitur . Amore Saluatoris debet esse affixus cru-  
 ci religionis , qui ad religionem venit . Clauo  
 nostri amoris potius fuit Christus affixus cru-  
 ci suae , quam clavis ferreis . Sicut ostium sepul-  
 chri Christum non potuit in eo tenere , sic nec  
 clavi ferrei eum in cruce tenuissent inuitum ,  
 sed clauo nostri amoris tenebatur . Sic amor  
 Christi nouitium in religione debet retinere .  
 Amor etiam sanctae societatis debet eum reti-  
 nere . In Psalmo . Ecce quam bonum , & quam iocun-  
 dum habitare fratres in vnum . Frater qui  
 iuuatur a fratre , quasi ciuitas firma . Debilis  
 qui pugnat cum forti , velle superari videtur ,  
 si potius eligat esse inter eos qui nocent , quam  
 inter eos qui adiutorium praebent . Amor et-  
 iam propriae salutis debet eum retinere . A-  
 mor iste debet esse magnus in homine , cum  
 in bruto tantus esse videatur . Ex amore sa-  
 lutis esse videtur , quod ovis lupum natura-  
 liter fugit : & canis , si in aquam ceciderit ,

*Tractat. 2.**circa med.**Sap. 4.**Iacob. 4.**Ecccl. 4.**Pro. 18.*

natando ad littus tendit. Item avis sagaciter cauet laqueum, & declinat lapidis ictum: & si ceciderit in laqueum, ad sui liberationem conatur. Bernardus. Pudet hoc rationem non posse in homine, quod natura potest in volucre. Ad idem mouere debet amor, qui habetur ad sanitatem corporis. August. Cum gaudio debet facere immortalis futurus, quæcunq; faceret pro differenda morte moriturus. Item ad hoc incitare debet amor, quem Deus & Angeli habent ad salutem nostram. Bernard. Quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Denique mittis ei vnigenitum tuum: immittis spiritum tuum: promittis vultum tuum: & ne quid ab opere sollicitudinis nostræ vacet, in cælestibus etiam illos beatos spiritus propter nos mittis in ministerium. Omnes enim sunt administratorij spiritus. Maximè ad stabilitatem valet gratia. Vnde legitur de Spiritu sancto, quod stabilis est. Optimum est gratia stabilire cor. Sicut & terra si humor defuerit, in puluerem redigitur, & à vento dispergitur: & corpus si ab eo spiritus recesserit, efficitur cinis: sic si gratia Spiritus sancti nouitio defuerit, ad modum pulueris fit instabilis. In Psalmo: Non sic impij non sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Ideo frequenter & deuotè debet inuocare Spiritum sanctum, qui confirmet quod in eo operatus est.

*Heb. 1.  
Sap. 7.  
Heb. &lt.*



INCI-